



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

5. Maledicentia redit in autorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

Multis hic sedet morbus, qui cum ipsi parum aut nihil possint, censendis aliis hoc moliuntur, ut aliquid posse videantur; sed suo risu, non plausu. Rex Ptolemæus de re musica copiosè differens, quædam sibi minus perfecta carpserat. Hic unus aliquis aulædorum imperterritus: aliud est, inquit, ô rex, sceptrum, aliud plectrum. Rex Macedo Alexander non minus audaci responso jussus est censuram substringere. Solebat is ad Apellem, quem dixi, charissimum sibi artificem sapius revisere, & varia de pingendi arte garrere, quæpiam etiam imperitiùs censere. Apelles silentium ei comiter suadens: Optime, ait, rex, si me audias, hac de re meliùs silebis; ne pueri, qui colores terunt, te rideant. Plin. loc. cit.

V. (e) Sed ignoscendum hoc regibus, quorum spiritus ad altiora surgentes, non habent, cur invideant plebeæ felicitati. Illi potiùs cuticulæ metuunt suæ, qui Zoili dentes in alieno figunt corio. Plinius memorat lib. 32. c. 10. Si lucerna infuso sepia piscis atramento accendatur, astantium vultus terribiles, & planè æthiopicos apparere. Sepia atramentum, est *obrectatio*, quæ lucem ipsam (quæ quid purius est?) inficit, & præclaros alioquin homines tetra specie induit. Sed non diu succus ille loliginis fascinat oculos; prævalet splendor virtutis ac sapientiæ, & disijcit nebulas, quas tenebriones isti, *Momi* scilicet, matre *Nocte* geniti, incautis objecerunt. Redit in autorem calumnia, & verberium Salomonis Prov. 14. locum invenit: *In ore stulti virga superbia.* Per *stultum*, maledicum Zoilum intellige, qui (quod solent fatui, clavam aut virgam manu gestantes) eandem præfert linguâ, & obvios quosque convitiando percutit, nescio quò fastu & superbia, tanquam si censoriam virgam ab ipso Jove accepisset. Verùm Momico huic hominum generi non rarò accidit, quod Theagenis, athletæ nobilissimi, calumniatori, qui statuam plurimarum palmarum victoris, quadringentis coronis illustrem, post fatum viri celeberrimi, singulis noctibus, gaudebat flagellis cædere: quod cum sapius, validiùsque iteraret mastix, corruit statua, & nebulonem oppressit. Pausanias in Eliacis. Nimirum, Salomone teste Prov. 19. *Parata sunt derisoribus judicia; & omnibus illis, quibus cum volupe sit malefacere, etiam oblectamento est maledicere: quam infamem tribum quidam non inscitè*

scarabæis comparat, qui testante Æliano lib. 4. c. 8.

vivunt in stercore, moriuntur in rosis.

Oooo 3

ADDI-

(e) *Maledicentia redit in autorem.*